



**O**Tto filius fuit Vuilhelmi domini Brunsvicensis & Lunenburgensis, atq; nepos Heinrichi Leonis potentissimi Saxoniae & Bavariae ducis, qui à Conrado & Friderico primo Cæsaribus suis ducatus ob morum perversitatem exutus, atq; tandem in Brunsvicensem ditionem admisus fuit. Otto itaq; tantis parentibus prognatus, atq; à patris suis Ottone 5. Cæsare, & Heinricho 1. suae gentis Palatino incitatus, virtutibus operam dedit, atq; Friderici 2. Cæsaris castra magno animo secutus est. In eo loco cum plurima virtutis & pietatis facinora edidisset, Imperator ipsum magno amore complexus est. Cum itaq; pater eius

obisset, atque ipse paternas hereditates adisset, Fridericus ipsum dignitate nova ornare ob virtutes desiderans, eum primum ducem Brunsvicensem & Lunenburgensem magna solennitate creavit. Tum etiam ducatus Brunsvicensis insignia duos flavos leones, quos avus Heinrichus ex Anglia attulerat, constituit. Lunenburgensi autem ducatus caeruleum leonem punctis quibusdam conspersis assignavit.